

00

kt

S. C. 132

vgl an Id 2087

Theol.

IV. C. 3.




h

9

DE  
CAIPHA PROPHETAM  
SIMVLANTE

AD IO. XI, 49 — 52.

DISSERIT.



SECTIO II.

QVAM

ORATIONI

EX LEGE

SERENISSIMAE FAMILIAE

SCHOENAICHIANAE

D. XVII. IVLII HORA XI. MATVTINA

HABENDAE

PRAEFATVR

ABRAH. PHILIPPVS GOTHOFREDVS SCHICKEDANZ

N. D. M. FRIDERICIANI RECTOR,



ca 1772

---

FRANCOFVRTI AD VIADRVM  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI



## CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

Consilium Caiphae §. I. contextus sermo. cepta eius interpretatio §. V. difficultatis §. II. III. ἐπιπίστως Ioannis et re. tes, quae eam premunt §. VI. VIII.

### §. I.



Pessimis illis consultoribus, quos causa Seruatoris Optimi suspensos tenebat, quos affectus, cœu mare fluctibus agitato, transuersos rapiebant, tandem aliquando hocce suggerit consilium Caiphas: *Vos*, ita scilicet socios suos alto supercilio affatur, *Vos nihil quidquam scitis. Neque vero perpenditis, praestare nobis, unum hominem pro populo mori, quam gentem totam perire.*

### §. II.

Quid sit, quod Pontificem adeo incenderit, vt duris hisce et indignantibus verbis collegas suos appellaret, mirum videtur interpretibus. Interpretum dissident hinc et variant sententiae in demonstrando sermonis contextu. LIGTFOOTVS opinatur, (a) Synedrîi Patres aliquam cognitionem vel saltim suspicionem habuisse, lesum fuisse verum Messiam. At religionem ipsorum irreligiosissimam, ex traditionibus solum confutam atque inuentis humanis, quibus decepti regnum Messiae splendidum pompa terrenaque gloria somniabant, ita animos eorum occaecasse, vt ipsam Messiam interimi satius esse putarent, quam istam ipsorum religionem perire et Iudaismum. Hinc verba, quae legimus v. 47. et 48. cap. nostri, haec depingit paraphrasi: *videtur hic homo quidem esse Messias per stupenda haec miracula, quae operatur, et quid nobis est agendum? Indignum ex una parte est, interimere Messiam, et periculosum est ex alia parte, eum tolerare: nam omnes credent in eum, et sic peribit et corruet Iudaismus noster: et cum perierit religio nostra, quid expectandum, nisi vt corruat gens tota per Romanos? Tunc respondit Caiphas: vos nihil scitis; si tunc Messias, nec ne, expedit et necesse est, vt moriatur potius, quam vt gens tota pereat.* Paraphrasin hancce nostram faceremus, sententiam Ligtfooti forte sequeremur, sacri nisi scriptores in aliam prorsus discedere nos iuberent. Petrus enim ipsos Iudaeorum ἀποστόλους testatur turpe illud ac maxime pudendum facinus interemti Seruatoris patrasse, ex ignorantia peccantes, quae tamen vinci depellique omnino potuisset, Act. III, 17.



17. Idem hoc demonstrat Paullus in oratione, coram conuentu praefectorum synagogae, quae Antiochiae floruit, habita, Aët. XIII, 27. Conferatur Luc. XIII, 34. et 1 Cor. II, 8. Praesto quidem erant multae rationes, quibus ducti Iesum esse Messiam, filium Dei, cognoscere poterant. Erant enim tot vaticinia quam exactissime iam impleta, ex quibus colligere merito debuissent, tempus, quo Seruatorem aduenturum esse praedictum erat, iam iam adesse. Verum enim vero, vti Paullus ait l. c., ad vatum sermones, quouis licet sabbato eos audirent, parum diligenter attendebant, hinc nec iis fidem habebant. Iesum quidem audiebant miranda loquentem, eundem videbant miracula et admiratione et charactere Messiae dignissima edentem; idque eo ipso tempore, quo praestitutus erat eius aduentus. Sed, quoniam tantam animi duritiem induerant, vt auribus auersis audirent oculisque inertibus viderent, (Matth. XIII, 13.) profecto aliter fieri non potuit, quin fides illis deesset. Vti vero difficultas, quam quidam ex Matth. XXI, 38. necere solent, tollatur, aduocamus huc canonem, qui vt in omnibus, ita maxime in illa parabola interpretanda obseruetur necesse est; eum puto, *parabola*, seu *similitudo*, ne *ultra tertium comparationis extendatur*. Verba autem: *agricolae, viso filio, dixerunt inter se: iste est heres*, ita accipienda nobis esse videntur: *eo viso, qui se filium et heredem profitebatur.* (b) Sic corrui hypothesi Ligtfooti, et corrueute hypothesi corrui et eius explicatio loci nostri.

(a) in *horis hebr. et talm.* ad h. l. p. 1074. sqq.

(b) Confer. Celeb. BARKEY *obseru. exeget.* in Aët. III, 17. et Matth. XXI, 38. quae exstat in *bibl. Hag.* Cl, III, fascic. l. p. 119. vbi hac de re et docte et copiose differit.

### §. III.

Nonnulli fuisse e Synedrii Patribus quosdam autumant, qui, quum res agebatur in senatu, sociis reclamauerint, negantes, iustam causam vllam cuiquam esse posse, Christum infontem e medio tollendi, eosque propterea Caipham asperius, quam Pontificem decedat, vituperasse. Quae sententia arridet Clerico, et Heumanno aliisque interpretibus. (a) Verum ipsi Synedrio tales adscriptos fuisse, qui fauere Seruatoris partibus eiusdemque causam defendere propalam ausi fuerint, non satis certum constare arbitror. Quippe iam per Senatum decretum erat, vt, si quis Iesum confiteretur Christum, *ἀποσυνάγωγος* esset Io. VIII, 22. Hinc factum, vt ii ipsi senatores, qui dictis factisque Iesu fidem habuisse leguntur, eandem palam profiteri dubitarent, veriti, ne Pharisaeis, qui tunc magna in Synedrio pollebant auctoritate, vrgentibus, decretum modo dictum aduersus ipsos exerceretur, Io. XII, 42. Qualem a communionem sacrorum submotio-



nem timuit etiam Iosephus Arimathaeus, quem propterea fidem suam dissimulauisse auctor est Ioannes XVIII, 38.

(a) Vid. Heumanni commentar. germ. ad b. l. p. 613.

§. III.

Nobis si conicere quid liceat, id potius suspicari velimus, E-uangelistam nostrum non integrum Senatorum sermonem referre, sed alterum deliberationis ab illis habitae membrum omittere. „ Quid nobis, inquit illi consultores, sanguinis innocentissimi sitientes, quid faciendum censetis? Namque iste, quem nostis Galilaeum atque fabri filium, signa edit, non vnum modo, sed plura, omnibus, quicunque Hierosolymis habitant, notiora, quam vt negare illa possimus, immo ne in dubium quidem vocare. Quid igitur? Sinimusne eum plura adhuc miracula facere? An impediemus illum morte inferenda? Quod si pergat, quo coepit, profecto plures in dies sibi acquireret affectas, tandem ad vnum omnes ei fidem adhibebunt, et quidnam tum aliud quam ruina vniuersae gentis consequetur? Periculum enim est, ne, si forte populus illum regem creauerit, Romani, in quorum potestatem iam sumus redacti, seditionis defectionisque a Caesare crimen sint nobismet ipsis moturi. Quid tum postea? Fama noui istius regis permoti bellum mouebunt, occupataque regione nostra, et urbem excidio et gentem internecone debebunt aut dissipatione. Sin autem illum e medio tollimus, insensum, qui cum eo facit, vulgum nobis reddemus, qui si tumultum seditionemque ciuerit, aeternum erit de nobis et de gloria et de vita nostra. „ In hisce cogitationibus versati esse, talia secum voluisse nobis videntur Synedrii Patres, id quod intelligi licet ex Matth. XXI, 46. XXVI, 5. Itaque cum socios videt anticipes adeo atque suspensos, ceu praefes concilii increpat eorum ignorantiam Caiphias, ratus, magis inflammandos esse excitandosque. Hinc vehementia, qua in illos se inuehi haud pudet. Dudum iam obseruatum est, consultationum plerumque finem praetendi vtilitatem, quam publicam vocant, secundum illud: *salus populi suprema lex esto*. Quali vtens praetextu, Iesum esse interimendum suadet Pontifex. Romanos enim imaginatur, audita seditionis per Christum concitatae fama, copiis missis poenas esse a Iudaeorum primoribus exacturos, quod illum non satis mature e medio submouendum curauerint. „ Quis ergo, inquit, vestrum est, qui eo dementiae procedat, vt non consideret, longe satius esse, vnum pro populo, per Romanos alioquin excindendo, morte deleri, quam vniuersum populum perire? An vita hominis istius vulgaris, quem quidam Messiam profitentur promissum, sitne in culpa nec ne, tanti est



est habenda, vt eius conferuandi causa totius sit iactura populi facienda?"

Vnum pro cunctis dabitur caput. (a)

(a) VIRGIL. *Aen. L. V. v. 815.* Hisce conferre non poenitebit, quae GROTIUS in annot. suis ad h. l. monuit.

§. V.

Atque haec fuit sententia summi pontificis, in senatu prolata. Cui commemoratae hancce interferit *ἐπίσκοπος* vir diuinus: *istud autem a semet ipso non dixit, sed, quum esset pontifex anni illius, vaticinatus est, fore, vt Iesus moriatur pro gente.* Quae verba ita explicanda esse, Caipham non a se sibi que ipsi relictum suam, de Christo necando, sententiam verbis istis declarasse, sed, Numine diuino afflatum, de morte, quam Seruator noster, nos Deo reconciliandi causa, obiturus erat, vaticinium edidisse, vnanimi fere ore contendunt sacrarum litterarum interpretes. Ex sententia quorundam Spiritus sanctus impii huius, Sadducaei, arrogantis, inuidi, odioque contra Christum repleti Pontificis mentem atque linguam ita mouit, motamque direxit, vt praeter omne animi sui consilium vaticinium de morte Christi, toti humano generi profutura, elocutus sit, sacrificiorumque V. T. rationem in vnicum Christi sacrificium transtulerit. Quemadmodum asina Bileami, hacce enim similitudine vtuntur hi interpretes, insciens, Deo verba formante, locuta sit, sic Caipham, quasi spiritu correptum, vaticinium, quod ipse non intellexerit, emisisse putant, Deo solum labia eius mouente, nequaquam vero mentem eius illustrante. (a) Alii, quibus haec vaticinandi ratio minus probatur, sic statuunt atque iudicant, non absque singulari quadam directione diuina factum esse, vt Caiphas verbis ambiguus sententiam de Christi morte conceptam enunciaret, quae, si consilium, quod Deus intenderit, spectes, verum omnino et iustum de Christo pro nobis deuouendo vaticinium, sin autem propositum Caiphae, iniustum interficiendi eiusdem consilium contineat. Inter vtrosque vero conuenit opinio, Caipham, verbis: *expedit vt vnus* etc. veri nominis effectum esse vaticinium, et veluti a Spiritu instinctum atque excitatum arcanam Dei de Christo voluntatem explicuisse. (b) Addunt etiam rationem, quare Deo placitum sit, Caipha potius ad verba ista mente concipienda linguaque efferenda vt, quam vilo altero Senatus assessore et iudice, quod ille tunc summam in populo obtinuerit dignitatem et quasi princeps eius fuerit, Synedrii praeses ideoque dignus, quem omnes attentius audirent. (c) Ex quo Celeb. VITRINGA (d) argumentum sumit pro sententia sua stabilienda, qua, donum vaticinandi illo adhuc tempore inter Iudaeos superfuisse, neque alienum a Pontifice



tifice esse habitum, τὸ προφητεύειν, atque inscium etiam oracula fundere, iudicat. At variis nec leuibus difficultatibus premi hancce videmus interpretationem. Difficultates has ea, qua par est, modestia exponamus. Interpretationem, quae veritati proxima nobis esse videtur, propositam demonstrabimus.

- (a) Quos inter ex recentioribus Pontificios praesertim referre possumus, cum quibus tamen Protestantium nonnulli idem fere sentiunt, eam in sententiam verbis Evangelistae haece adducti: τὸ τοῦ θεοῦ ἑαυτὸς ἔκλεπεν, quae HENR. SCHARBAV in obss. sacr. p. 761. ita interpretatur: non nouit cor aut anima eius, neque acie mentis suae apprehendit, quae ore suo pronuntiabat. Similiter BEZA in annot. suis ad h. l. fuit tunc, inquit, quasi bilinguis Caiphas. Impium enim et crudellem necandi Christi consilium, quod in animo conceptum habebat, euomuit. Deus vero linguam eius alio flexit, ut sub ambiguis verbis vaticinium simul proferret. Confer, et diss. I. G. BAIRI de prophetis per ignorantiam et fortuitis.
- (b) In eandem sententiam haut ita pridem pedibus iuit Clariss. SCHMID, vid. bibl. eius philol. et crit. P. I. p. 227. verba, quibus mentem suam declarat, adscribere hic placet: Die Worte, deren sich Kaiphas bediente — — zeigen an, das er nicht freywillig, sondern durch Gottes Macht gezwungen geredet habe. Der einige Sinn jener Worte ist eine dem Kaiphas wider seinen Willen abgenoechtigte Weissagung von der Erloesung des ganzen Volks Gottes durch den Tod Christi, den sie nach Gottes Rathschluss volziehen würden.
- (c) Vid. GROTIUS in annot. ad h. l.
- (d) in obss. f. L. VI. C. XIII.

## §. VI.

Equidem ego illud non vrgeam, haud vero simile vlllo modo credi posse, quod, quum nemo minus ad vatis personam gerendam aptus fuisse videtur, Caipha, cuius quippe animus, a Seruatore alienissimus malique daemonis furore plenus, diuini Spiritus operationi minime patuit, eo ipso tamen Deus vsus sit, ad vaticinium quoddam de morte, qua diuinam in gratiam erat nos Iesus redacturus, proferendum. Obiicere enim posses Bileami exemplum, ex quo appareat, vel impiis hominibus futura nonnumquam a Deo fuisse patefacta. Sed si vel maxime concedamus, Bileamum verum fuisse prophetam (a sacris tamen scriptoribus non nisi atro praestigiatoris notatur carbone 2 Pet. II, 16. et Ios. XIII, 22.) eundemque afflatu diuino praeditum futura praedixisse: concedendum et nobis erit, grauissimas tunc Deo causas fuisse, quare improbum illum alloquium suo instinctuque dignatus sit. Sed nullam omnino rationem videmus, cur Numen diuinum Caipham vaticinium de morte Christi pronuntiare iusserit. Tot enim et paene innumera de Christo, pro nobis grauissima mala passuro, oracula vere diuina diu iam veri nominis prophe-



prophetae iussu Dei effati fuerant, vt veritatem eandem ex ore impij huius et malitiosi viri praedicari non opus fuisse videatur; nisi forte regerere velis, propterea Deo placuisse id, vt eo magis veritas triumpharet, ipsique inimicissimi Christi testes essent veritatis; quam ob rem ex sede Pontificis, iam iam collapsura, vaticinium de redemptione per illum, quem omnes foederis prisca pontifices adumbrauerint, prodisse. Sed, quomodo veritatem, quam ipse ignorabat, Caiphas testari potuisset, ego quidem non intelligo, neque vero video, quomodo vaticinium istud, si omnino fuerit, redemptionem Christi eo illustriorem reddat, quum nec vllus ex Synedrii assessoribus veritati huic fidem habuerit. Si qui vero simile quidpiam vaticinii ex facto Pilati, qui, ringente licet Iudaeorum inuidia, crucem Iesu elogio insigniendam curauit, eliciunt, vel illud Caiphae, quo vestes, quibus erat indutus, scidit, pro omine aut praeludio rumpendi mox cultus leuitici venditant, eos nil nisi pias garrere nugas censemus, neque enim vltra ipsius Spiritus S. admonitum sapere velimus.

#### §. VII.

Effectu non carebat sermo Caiphae. Simul enim ac verba illa effatus erat, omnium suffragiis Seruatoris, integri vitae scelerisque puri, decernebatur interitus cap. 11. v. 53. Quae verba autem si Deus ipse ori eius indidisset, vel vt SCHMIDII verbis iam vtamur, si Caiphas non sponte, sed vi et Dei potentia coactus, locutus esset, ego sane non video, quomodo a culpa liber manere Deus posset, tum enim Iudaeos in praua illa atque nefaria actione suscipienda perficiendaque adiuuisset. Absit, quam longissime absit!

#### §. VIII.

Quod si denique verba, quae in concilio eloquebatur Caiphas, verum de Christo pro nobis morituro vaticinium continerent, duplex iis omnino tribuendus esset sensus, quorum alterum Caiphas in mente habuerit, alterum autem Spiritus S. spectauerit. Vnde etiam CL. IORTINVS, Anglus, hypothesin suam, qua, vaticinia nonnulla duplicem sensum inuoluere, statuit, ex hoc loco Ioanneo probare laborat. (a) Recte quidem nostro iudicio, si verum sit, Caipham instinctu afflatuque diuino verba, quorum iam saepe mentio facta est, pronunciauisse. Profecto enim ille ista loquens de nulla re minus, quam de redemptione per Christum praestanda cogitasse censendus est, quum nihil aliud quam hoc dicere voluit, Iesum morti tradendum esse, ne quid detrimenti respublica caperet. Caipham vero si Ioannes re ipsa vaticinatum esse affirmauerit, tunc omnino verba illius simul Christi pro vniuersi populi salute mortem accuratissime indicarent. At



At scripturae sacrae, vt in omnibus locis, ita in vaticiniis etiam non nisi certum, i. e. vnicum sensum esse, non facile, opinor, in dubium vocabit, qui, quod plures sensus interpretationem incertissimam redderent, perpendat. Equidem non sum ignarus, in nonnullis S. Scripturae locis sensum, quem vocant, typicum praeter litteralem esse omnino admittendum. Sed, quoniam is non tam in verbis, quam re verbis significata latet, proprie sensus dici non potest; propterea illi locus non est, nisi ex ipsis sacris litteris indiciis haud obscuris ostendi queat, res, de quibus in hoc vel illo loco agitur, ex consilio diuino esse imagines rerum futurarum. (b)

(a) Vid. eius obseruat. ad hist. eccles. ex anglico idiomate in germanicum translatae. Hypothesin Iortinianam examinandam et simul refutandam sibi sumit Doctiss. FROMMANNVS in opusculis philol. atque histor. P. I. p. 134. fqq.

(b) Conferendus hic in primis est summus ERNESTI in libro, qui inscribitur, *institutio interpr. N. T. P. I. S. I. C. I.*



Haec iam praefanda erant orationi, d. XVII. Iulii habendae, qua, natalem Scholae Fridericianae renouaturi beneficiaque, quibus eam Viri et genere et eruditione illustres exornarunt, grata mente persecuturi, curam, quae in ludis litterariis sustentandis et amplificandis versatur, summsimus nobis celebrandam. Quam vt orationem beneuole audire velint, Magnificum Academiae Rectorem, Lycei Curatores pie colendos, Academiae Proceres atque Professores Celeberrimos, Senatum Amplissimum, et quotquot in hac vrbe litteris fauent Musisque nostris bene cupiunt, singulos ea, qua par est, humanitate rogamus. Scribeb. Francof. ad Viadrum  
d. VI. Iulii MDCCCLXXII.





~~155556~~

AB 155 556


X2613330

l










9

DE  
PROPHETAM  
LANTE

. XI, 49 — 52.  
ISSERIT.



CTIO II.

QVAM  
TIONI

EX LEGE  
IMAE FAMILIAE  
AICHIANAE

HORA XI. MATVTINA  
HABENDAE  
RAEFATVR  
OTHOFREDVS SCHICKEDANZ  
IDERICIANI RECTOR,



ca 1772

RTI AD VIADRVM  
CHRISTIANI WINTERI,

